Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26151
Copyright: Admont, Benediktinerstift

130

ad culpam per suggestionem et incensionem. et manum
trahentem ad penam per institutionem sic hodie in-
tus adhuc [impellit] ad culpam et trahit ad penam. Ergo
per mortem Christi non sumus a diabolo liberati. Item
videtur quod nec a fomite corporali liberati sumus
per mortem Christi quae adhuc manet in nobis secundum
illud ii. Corinth. iiii. Habemus thesaurum in vasis ficti-
libus Glossa i. in corporibus infirmis et debilibus
Item nec a mortalitate nec a morte penali quia
illud ii Corinth iiii. Qui vivimus in mortem tradimur
ergo a mortalitate et morte liberati non sumus. Pre-
terea consequens videtur quod cyrographum decreti contra nos
non sit deletum per mortem Christi. quia cyrographum
decreti continebat illam sententiam pene peccati pri-
mi hominis. In quacumque hora de ligno vite fructu
comedis morte morieris etc. Sicut dicit Glossa
super illud Ad Coloss. ii. Delens quod adversum nos erat
cyrographum decreti etc. Sed illa sententia et pena adhuc
manet. quia et mortales sumus et morimur. ergo Cyrogra-
phum decreti nondum est deletum per mortem Christi. Item
nec a morte eterna quia ut dicitur Matth. xxv Ibunt
hii in supplicium eternum etc. i. mali. ergo videtur expeditius
generaliter quod per mortem Christi nec a culpa nec a pena nec
a diabolo nec in toto sumus liberati. Predictas autem opposi-
tiones et instantias simpliciter ideo posuimus quia

impellit